

kat. komp.

CIMELIA

Qu	5166
----	------

Qu	5167
----	------

Qu	5168
----	------

Qu	5169
Qu	5169a




5166-5169

CIMELIA

Calbreath.

100.



ASPICE ER-
GO CALVMNI-

ATOR IMPVDEN-
TISSIME. TEMERARIE.

q̄ NICOLAE SCHOLTZ, Nobilis Mi-
CHAELIS FRYDVVALDI, officij Regij be-
ne meriti Instigatoris, legitime contra te
obtentæ victoriæ, micantissimum hoc pere-

petuòq̄ duraturum vexillū, publicè con-
tra te contextum, Elbinge in Præ-

torio, die VII, mensis Avgūsti,

Anno Domini,

1579.



Aspice itaq; NICOLAE SCHOLTZ, ob testandū fœ-
dissimæ Rebellionis per te commissum crimen coram supre-
mo Regali Iudicio. Inq; generali Regni conventionē, publice
criminaliterq; per me accusate, plusq; satis conuicte, obq; demer-
itum supplicium turpiter profuge, atq; Iudicialiter tandem con-
demnate calumniator mendacissime, TROPHOEVM hoc me-
am splendidissimum, multo labore diuturnisq; molestijs, tum va-
rijs etiam tam belli quàm pacis tempore, ob præstitam alacriter
constanterq; Serenissimo Regi meo, atq; Reipub. fidelitatem, per-
pessus vitæ periculis, egregiè fortiterq; mihi comparatum. Ac tan-
dem ex Sacartissimarum Serenissimarumq; Inuictissimæ nimirū
atq; Augustæ Romanæ Imperatoris, Regisq; Poloniæ &c. Maie-
statum præclarissimæ memoriæ, nec non Serenissimæ quoq; mo-
dernæ Regis Maiestatis authenticis Commendationibus, contra te
omnesq; nefarios calumniatores in formam sequentē lepidè con-
sectum. Quod quidem vos sordidæ Tinxæ, mordacesq; glires,
nunquam corrodere nedum deuorare poteritis. Immo ve-
rò Corona illa incorruptibilis, animi mei compro-
batas virtutes, cum magno vestro do-
lore, perpetuèq; cum laude mea
fauente Diuina clémentia
prædicabit.

2:6

Cen 5163



IN NOMINE ÆTERNI VNIVS
& solius DEI Patris & Filij, qui est Do-
nus noster IESVS CHRISTVS, et Spiritus
Sancti, Amen.



NOS RECTOR, MAGISTRI, ET DO-
ctores Academiae LIPSENSIS, significamus
& testamur publicis hisce literis ad omnes, corā-
q; vniuersis ac singulis, quibus oblatae hae ad le-
gendum fuerint, curasse, Nobilitate, virtute, sa-
pientia & scientia iuris, praestantissimum virum
D. MICHAELEM FRIDEVVALT indigenam Elbinge-
sem, ostendendas tradendasq; nobis litteras Diplomatis perscri-
ptas in membrana pergamena, Inuiciss. ac sacratissimae & Augu-
stae Maiestatis FERDINANDI Imperatoris Romanorū fœ-
licis recordationis, cum Sacri Imperij Signo primario cera rubra
expresso, & dependente de filo implicato coloribus aureo, argē-
teo, caeruleo & rubro. Expositumq; est tunc nobis consilium ipsi-
us & consideratio hęc. Eam esse Imperatoriarum literarum ex-
cellentiam, & aded venerandam existimationem, illisq; debere
tam accuratam subiectissimae diligentiae custodiam, vt eas profer-
re facile proponereq; fas non esse videatur. Praterca accidere
posse, vt vbi nō prolatis propositisq; opus forte esset, eō commo-
de illas aut tuto deferri, ibiue recte explicari non concederetur.
hasq; ob causas eximius vir quem supra nominauimus MICHA-
EL FRIDEVVALT petijt a nobis studiose, vt istarum litera-
rum exemplum describi transferrisq; iuberemus, cura, attentio-
neq; & fide singulari, ne qua dubitatio expressū esse pænitus Im-
peratoriae Maiestatis augustum Archetypum relinqueretur. Nos
verō petitioni tanti viri honestissimae, libenter & sedulo morem
gerentes, Sacratiss. Maiestatis Imperatoriae litteras, quas cū ostē-
dendas tradendasq; nobis curasse diximus, cum reuerentia, ob-

A

¶

seruan-

seruantia, ueneratione summa atq; maxima accepimus, inspectas-
que diligenter, integras incorruptasq; & omnis labis expertes
deprehendimus, & ita Tabellioni Notarioq; publico Academiae
nostrae, Magistro Hieronymo Zynaus Lipsensi commisimus descri-
bendas. Et est illarum forma seriesq; & comprehensio quae se-
quitur.

F E R D I N A N D V S Diuina fauente clementia, Electus
Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hunga-
riae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, &c. Rex, Infans
Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Sti-
riae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Morauiae, &c. Dux Lucembur-
giae, ac superioris & inferioris Silesiae, Vvirthebergae & Teckae,
Princeps Sueuiae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi &
Coritiae. Landtgrauus Alsatiae, Marchio Sacri Romani Imperij,
Burgouiae, ac superioris ac inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae
Sclauonicae, Portus Naonis & Salinarum. &c. Honesto nostro, &
sacri Imperij fideli dilecto **MICHAELI FRIDEVVALDO**
Gratiam nostram Caesaream & omne bonum. Optimo sane con-
silio prudentissimaeq; ratione a Maioribus nostris Romanorum Im-
peratoribus ac Regibus institutum fuit, vt qui virtute aliqua, aut
egregijs erga Principes suos, meritis essent praediti, varijs honori-
bus ac titulis condecorarentur. Sciebant enim illi non alijs arti-
bus Regna & Respublicas rectius ali & conseruari posse, quam
si inijs praemia & honores bonis ac praestantibus uiris constitue-
rentur, quibus non solum ipsi, uerum etiam posterij ad uirtutem
& uerum decus excitarentur. Sane nos maiorum nostrorum ve-
stigia per omnes aetatis gradus secuti, dignum semper munificen-
tia ac liberalitate nostra fore arbitrati sumus, eos omnes in qui-
bus summa uirtus, probitas ac industria inessent, quosq; praeclearo
erga nos & sacrum Imperium cultu atq; obseruantia excellerent
omni benignitate, ac gratia nostra prosequi ac complecti, vt re-
liquos etiam ad eadem studia, & ad bene de nobis ac Sacro Im-
perio merendum alliceremus. Hinc est **Michael FRIDEVVALDE**,
quod

quod attendentes eximias animi ingenijque tui dotes, probitatem, integritatem, eruditionem, ac rerum usum, qui ut alia multa & præclaræ pietatis, bonitatis, & virtutis tuæ documenta dedisti, ita sane sicuti accepimus, in ijs locis, in quibus magna tua cum laude versaris, eadem documenta etiam nunc luculentissimè declaras, dum miserabilibus quibusque personis operam tuam impendis, eis patrocinando, assistendo, & auxilium atque fauorem contra malignantium insidias, ac sinistros conatus iugiter præstando. Considerantes etiam fidelia & egregia obsequia, quæ olim Diuo Romanorum Imperatori CAROLO Quinto præclarissimæ memoriæ, Fratri ac Dño nostro charissimo, PER TE IN BELLO ALACRITER PRAESTITA, & quæ nobis quoque & Sacro Imperio oblata occasione summa fide, studio & conatu te præstiturum polliceris, prout nobis de te planè pollicemur, prætermittere non potuimus, quin te aliquo munificentia ac gratia nostra Cæsareæ munere cohonestaremus, ut haberès perpetuum de virtutibus ac meritis tuis iudicium testimoniumque sempiternum. Quapropter motu proprio, animo deliberato, ex certa nostra scientia, & de Cæsareæ potestatis plenitudine te MICHAELEM FRIDEVVALDVM, simul & fratres tuos MAURICIVM NICOLAVM & IOANNEM, vestrosque filios ex legitimo thoro susceptos, posterosque & hæredes omnes ex vobis legitime natos & nascituros, vtriusque sexus eorumque liberos in infinitum descendentes ad Nomen, Ordinem, Gradum, Statum, Cærum, Dignitatem, nostrorum ac Sacri Romani Imperij Nobilium, assumimus, attollimus, vosque omnes iuxta qualitatem conditionis humanæ Nobiles, & tamquam de Nobili Genere, Domo & Familia procreatos dicimus & nominamus, & ab vniuersis ac singulis cuiuscunque dignitatis, ordinis, conditionis existant pro veris Nobilibus vos dici, nominari, haberi & reputari volumus. Statuentes ac præsentis edicto nostro Cæsareo expresse decernentes, quod tu Michael ac fratres tui prædicti, successoresque vestri ex vobis in infinitum descendentes perpetuis posthac temporibus vbique locotum & terrarum, tam in iudicijs, quam extra in rebus Spirituali-

bus ac temporalibus, Ecclesiasticis & prophanis quibuscūq; , etiam si tales forent, de quibus in præsentiarum specialis mentio fieri deberet, nec non in omnibus & singulis actibus iisdem honoribus, dignitatibus, officijs Iuribus, libertatibus insignibus, privilegijs, præminentijs, gratijs & antelationibus, vti, frui, gaudere & potiri possitis & valeatis, ipsiq; possint & valeant, quibus cæteri nostri & Sacri Romani Imperij veri Nobiles de Nobili prolapia à Quatuor Avibus Paternis & maternis geniti vtuntur, fiuntur & gaudent quomodolibet consuetudine vel de iure. Vt autem huiusce Nobilitationis nostræ perpetuum testimonium exeret, maioreq; ipsam beneficio decoremus, eadem autoritate nostra Cæsarea tibi præfatis MICHAELI ac Fratribus tuis antedictis, vestrisq; liberis, hæredibus ac posteris ex legitimo thoro natis, & deinceps nascituris in perpetuum infra scripta armorum insignia, Scutum videlicet in duas partes æquales secundum latitudinem diuisum, quarum quæ est inferior sit coloris cærulei & tres palmarum arbores pari inter se interuallo disiunctas contineat. Superior verò sit coloris rubei, & in ea appareat gladius erectus manubrio deaurato, cuspide sursum versa, & mediam circumferentiam Clypei penetrante. Ex superioribus autem eiusdem arcæ angulis extendantur duo brachia humana, tenentia manibus gladium iam dictum, quorum illud quod à leua parte conspicitur, indutum sit manica crocea, alterum verò armatum totum existat, & huius manus capulum superiore loco teneat. Galea esto Equestris heroicis cancellis aperta, ex cuius cono, qui est ferto ex fascijs rubei & cærulei coloris contorto insignitus, duæ insignes alæ in altum surgant, quarum dimidia pars quæ superior est sit rubea, alia verò dimidia sit cærulea, gladius verò inter vtrâq; alam sit medius, quem duo alia brachia ex alis descendente manibus apprehensum teneant prorsus similia illis, quæ in Scuto depicta cernuntur. Ex Galea verò desuuant phaleræ ad dextram rubei & aurei coloris, ad sinistram aurei & cærulei, quemadmodum hæc omnia in medio huiusce Cæsarei nostri Diplomatis,

pictoris

pictoris manus ingeniosus appinxit, dedimus, concessimus, donauimus, & elargiti sumus, prout tenore præsentium, damus, concedimus & elargimur, antedicta autoritate nostra expressè statuentes ac decernentes, quòd tu MICHAEL ac Fratres tuam dicti, vestriq; liberi, hæredes & descendentes legitimi viri usq; sexus in omnem posteritatem iam descripta Nobilitationis & armorum Insignia ex hoc tempore deinceps in perpetuum in omnibus & singulis honestis ac decentibus actibus, exercitijs, & expeditionibus, Nobilium more, tam serio quàm iocò, in hastilibus ludis seu hastatorum dimicationibus, pedestribus vel equestribus, in bellis, duellis, singularibus certaminibus, & quibuscunq; pugnis, eminus, cominus, in scutis, vexillis, tentorijs, sepulchris, sigillis, monumentis, annulis, ædificijs, suppellectilibus, tam in rebus Spiritualibus quam temporalibus & mixtis, in locis omnibus, prout vobis libitum fuerit, aut necessitas vestra postulauerit habere, gestare, & deferre possitis & valeatis, Aptiq; sitis & idonei ad ineundum & recipiendum omnes prærogatiuas, gratias, libertates, exemptiones, feuda, priuilegia, vacationes, à muneribus & oneribus quibuscunq; realibus, personalibus siue mixtis, ad vtendum quoq; iuribus & consuetudinibus, quibus ceteri à nobis & Sacro Romano Imperio huiuscemodi ornamentis insigniti vtuntur & fruuntur, & ad quæ admittuntur consuetudine vel de iure, omni impedimento, & contradictione cessantibus. Quapropter omnibus & singulis Ecclesiasticis & Secularibus Electoribus, Principibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Vicedominis, Aduocatis, Præfectis, Procuratoribus, Officialibus, Quæstoribus, Ciuium Magistris, Iudicibus, Consulibus, Regū heroaldis, Caduceatoribus, & deniq; omnibus nostris & Sacri Romani Imperij, aliorumq; Regnorū & Dominiorum nostrorū subditis & fidelibus dilectis, cuiuscunq; status gradus, ordinis, conditionis & præminentia fuerint, seu quacunq; præsub-

præfulgeant dignitate, firmiter mandamus & præcipimus, vt te præfatum MICHAELĒ FRIDEVVALT ac fratres tuos, vestrosq; liberos nepotes, hæredes & posteros ex vobis legitimo connubio prognatos, ac in perpetuum descenduros, præscriptis Nobilitationis & armorum insignibus, Privilegijs, immunitatibus, Iuribus, vobis hoc nostro Imperiali Diplomate concessis, liberè, pacificè, & sine molestia aut impedimento vti, frui, pottri, gaudere sinant, deniq; id ab alijs etiam fieri curent, quatenus grauisssimam indignationē nostram & multam quinquaginta marcharum auri puri Fisco nostro Imperiali, & parti læsæ ex æquo, omni spē veniæ sublata, soluendam evitare voluerint, quam pœnam his qui hoc Diploma & rescriptum nostrum obseruare neglexerint aut spreuerint, quotsicunq; scilicet illud violarint irrogandam decernimus & statuimus. In cuius rei ampliorem fidem atq; testimonium, hisce literis nostris manu nostra propria subscriptis, Sigillum nostrum Cæsareum appendi voluimus. Datum in ciuitate nostra Vienna, Die quinta mensis Nouembris. Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo. Regnorum nostrorum, Romani Tricesimo, Aliorum verò Tricesimo Quarto.

Ferdinandus subscripsit.

Vice ac nomine Reuerendiss. Dom,
Archicancellarij Moguntini.
Vczr. Seld,

Ad mandatum Sacræ
Cæsareæ Mts propriū.

M, Singkhmoser.

Hoc

HOC Exemplum Diplomatis Augusti his nostris publicis literis insertum. Nos quorum autoritas præscripta est, vidimus legimus, contulimus cum Archetypo, & inuenimus omnia vbiq; prorsus & plane congruere, tam verbis quàm sententijs, neq; quicquam vsquam discrepare, & illud ita se habere, verumq; esse, id ipsum significamus, testamur, affirmamus & profiteamur, ad indubitam certamq; fidem huius rei & memoriam inuiolatè seruandã. Quod vt firmitus exploratiusq; esset & clarius constaret, Rectoratus Academiæ nostræ Signum publicum cera rubra exprimit appendiq; & has literas consulto dari, Nobilitate, virtute, sapientia & scientia Iuris præstâtissimo viro D. MICHAELI FRIDEVVALT antenominato mandauimus, ad quemcunq; casum & vsum edēdas, & arbitrio ipsius pro eo atq; res postularit, promendas, tractandas, negotijs præsentibus accommodandas & in posterum conseruandas. Actum Lipsiæ V. Nonarum Quintilis qui erat dies Martis post Visitationis Beatæ Virginis Mariæ, Anno Christi Seruatoris generis humani, M D L X V.

ET ego Hieronymus Zynaus Lipsensis, optimarum disciplinarum atq; artium Magister, Sacratiss. Roman. Imperatoris autoritate Publicus, & inclytæ Academiæ Lipsicæ iuratus Notarius. Quia ad iussu Magnifici Domini Academiæ sæpius nominatæ, Rectoris Diploma commemoratum Augustæ Maiestatis summa diligentia & fide transcripsi, & in hanc formam complicatam, quæ aptior vsui videretur, redegisti, ideoq; nomen & cognomentum cum vsitato meo Notariatus signo hoc loco ascripti. Actum Lipsiæ, Die, Anno Christi &c quibus supra, Indictione octaua, D. MAXimiliani II. Imperij Rom. III. Bohemici XVII &c. ad hæc omnia specialiter vocatus, rogatus, & requisitus.

M. Zynaus.

5

Sigla

SIGISMUNDVS AV-
GVSTVS DEI GRATIA REX PO-
LONIAE, MAGNVS DVX LITVVA-
NIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASO-
VIAE, SAMOGITIAE^q, &c. DOMI-
NVS ET HAERES.

SIGNificamus tendere praesentium, quorum interest vniuersis,
quia Nos ex certa scientia, & voluntate nostra fecimus, con-
stituimus, creauimus, ac specialiter deputauimus, vti hisce literis
nostris facimus, constituimus, creamus & deputamus, in nostrum
Plenipotentem & Mandatarium, ac Maiestatis nostrae Procurato-
rem seu Instigatorem, ad agendum & instigandum nomine nostro
eoram Commissarijs nostris, ad id destinatis & deputatis, ac alijs
quibuscunq; Iudicibus & Officijs ordinarijs & extraordinarijs, seu
delegatis, contra quasuis personas, cuiuscunq; status ac praeminē-
tia, in omnibus & singulis causis, tam Criminalibus quam Ciuili-
bus, Personam, Maiestatem, Honorem, & Dignitatem nostram,
atq; iura nostra Regalia, etiam Fiscum & commoda nostra & Reipub.
tangentes, ac quomodolibet ad animaduersionem & Iudi-
cium nostrum pertinentibus, nobilem MICHAELEM FRI-
DEVV ALDVM, fidelem Nobis dilectum: dantes & concedē-
tes eidem Mandatorio nostro, omnimodam potestatem & faculta-
tem, contra praedictas Personas, nomine nostro & Reip. agendi,
instigandi, proponendi, poenam & supplicium de Maleficis & Ex-
cessiuis deprecandi & efflagitandi, ac quaeuis commoda ad Fiscum
nostrum repetendi: aliaq; omnia & singula, in praemissis, & circa
praemissa quomodolibet necessaria & oportuna agendi & exercen-
di: etiam si talia forent, quae mandatum magis speciale exigent,
quam praesentibus est expressum: Promittentes, Nos, quicquid in
praemissis per eundem Mandatarium seu Instigatorem à Nobis con-
stitutum

Virum, gestum fuerit, ratum & gratum perpetuo habituros. In
cuius rei fidem, Sigillum nostrum presentibus est appressum. Datū
Vvarschouix, Die decimo octauo mensis Septembris. Anno Do-
mini, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo octauo, Regni vero
nostri, Trigesimo nono.

SIGISMUNDVS AVGV-
STVS REX subscripsit.

SIGISMUNDVS AVGVSTVS
DEI GRATIA REX POLONIAE &c.

FAMatis Burgrabio, Proconsulibus, Consulibus, Aduocato,
honestisq; Ciuium Senioribus, atq; adeo toti Communitati Ci-
uitatis Nostrae Elbingensis, fidelibus nobis dilectis, gratiam nostrā
Regiam. Famati, honesti, fideles, dilecti, mittimus Elbingam cer-
tos Commissarios nostros qui Reipub. Elbingensis statum accura-
tissimē inquirent, eumq; si opus videbitur, plenam ad id à Nobis
habentes authoritatem, in melius reformabunt. Quapropter vo-
bis omnibus & singulis aduētum Synceritatum & Fidelitatum illo-
rum denunciantes, seuerē mandamus presentibus, ne quisquam se
absentet, sed vt omnes & singuli S. & F. illorum aduentum obedi-
enter expectetis, debitamq; illis reuerentiam, obedientiamq; com-
praestetis, vocatiq;, vos coram S. & F. illorum personaliter consti-
statis. Ad instantiam nimirum Instigatoris officij nostri Regij Nobi-
lis MICHAELIS FRIDEVVALDI iudicialiter responsuri, sententiasq; le-
gittimē proferendas audituri. Salua tamen ad Nos omnibus graua-
tis reseruata Appellatione, sub grauissima indignatione nostra,
bonorumq; confiscatione, secus ne quisquam facere audeat.
Datum Varschouix die vigesima septima mensis Septembris. An-
no Domini. Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo octauo, Re-
gni vestro nostri Trigesimo nono.

SIGISMUNDVS AVGV-
STVS REX subscripsit.

SIGIS MVNDVS AVGVSTVS
DEI GRATIA REX POLONIAE &c.

SIGNIFICAMUS praesentibus literis nostris, quorū interest Vniuersis, Cū iusti graubusq; causis permoti, ex Consiliariorū nostrorum Sententia designassemus Elbingam in Legatos & Commissarios nostros, Reueren: in Christo Patrem, Magnificum & Generosum, D. Stanislauū Karnkovvski, Episcopū Vvladistauiē, & Pomeraniae, Ioannē Sierakovvski, tum Calisieiē Castellanum, nūc verò Palatinū Lancicieē, & Capitaneū Przedeceē, Simonē Schubski Inovlodzeē, Georgium Oleski de Ostrovicz Culmeē, ac Ioanem Kostka de Schtangenbergk Gedaneē, Terrarum Prussiae Thesaurarium, Puceē, Dirsouieſiq; Castellanos & Capitaneos, quibus potestatem contulimus. Omnes causas, tam eas quae Nos, Dignitatemq; nostrā & Reip. quā etiam Statum Ciuitatis illius, ac priuatas personas concernerent, & Criminales & Ciuiles, iudicandi. Atq; Legati & Commissarij nostri Elbingam venientes, fundatq; Iurisdictione sua, in loco publico Praetorij Ciuitatis illius, ad Instantiam Nobilis Michaelis Fridevvaldi, Instigatoris officij nostri, quā in praefixo termino competenti, Nicolaum Scholtz olim Proconsulem Elbigeē, in termino illo comparētem, inter alia crimina inprimis accusasset, de crimine laesae Maieſt. nostrae. Quod is Nobis inscijs & non requisitis, Capitaneū Militū quendā Andreā Ohme clam conduxisset, spretaq; Constitutione Diui Parētis nostri, qua perpetuis temporibus seuerē sancitum est, sub poena capitis, omniumq; bonorū confiscationis, quemuis Terrarum nostrarū Prussiae Ciuem inprimis Sacramentum Iuramenti praestare teneri de fide Nobis, ac Sereniss. Successoribus nostris, Regnoq; nostro adseruanda: quodq; omnia, quae Nobis, Regnoq; nostro, & omnibus subditis nostris obesse possint, ea nobis indicare. detegerēq; fideliter obstructū esse: ad extremum etiam honorē nostrum, Regniq; nostri, & Terrarum Prussiae utilitatem publicā, pro virili promouere debere. Ipse eorum omnium immemor, neglecta seueritate poenarum commemoratarū, ausus est dictum Andreā Ohme in Capitaneum Militum, qui in illa ciuitate conscriberet Militem,

Mercede

Mercenarium constituere, eiq; nouam formulam, Constitutionibus
Diuī Parentis nostri supranominatis contrariam, præscribere: neq;
q; Nobis, Regnoq; nostro Iuramentum fidei seruandum ab eodem
exegisset, dūtaxat Magistratui Ciuitatis illius præstandum curasset.
Eo etiam disertis verbis expresso, ne vlla arcana consilia cuiquam
panderet: sūq; aliquod periculum, in alijs extraneis prouincijs, vel
in Regno nostro, Terris Prusiæ timendum immineret, vt idē Ca-
pitaneus præsens tūm Elbingē adesset, eaq; omnia præmissa, pro-
ductis coram Legatis & Commissarijs nostris, tam Constitutionibus
Diuī Parentis nostri, quā Literis Pergameneis, sub Sigillis pensili-
bus, altero officij, Magistratusq; Ciuitatis Elbingensis, altero verò
clām conducti Capitanei, Militis æditis, simulq; etiam sufficētibus
depositionibus Iuratorum testium, hominum fide dignorum, vni-
uersum hoc crimen, in nemine alio residere, præterquā in ipso
met Nicolao Scholtz, tanquam tempore illo officio Proconsulis
Ciuitatis illius fungente comprobasset. Ac ipse quidem Nicolaus
Scholtz, coram Legatis & Commissarijs nostris præsens, negasset
id cautum esse Constitutionibus Diuī Parentis nostri: Instigator
verò officij nostri Michael Fridevaldus, exhibitis Constitutionibus
authenticis, præmissa omnia, vt Iuris est, probasset, atq; tandem
Nicolao Scholtz, agnoscendo se ad eas ipsas Literas pergameneas,
Legati & Commissarij nostri, partes ipsas, cum causæ totius
processu, probationibusq; omnibus superius recensitis, ad Nos,
pro ferenda Sentētia nostra, Termino peremptorio partibus præ-
fixo remisissent: itaq; in termino hucusque continuato, Nos cum
Consiliarijs nostris, in hoc Conuētu Generali Lublinensi congre-
gatis, animaduertentes, quod Instigator Officij nostri, Nobilis
MICHAEL FRIDEVALDUS, coram nobis, Iudicioq; nostro, iuste &
legittimē expeteret, sisti, vocetq; præconis clara proclamari, Ni-
colaum Scholtz, olim Proconsulem Elbingensem, publice co-
ram Legatis & Commissarijs nostris Elbingæ, de Criminibus læ-
sæ Maiestatis nostræ infamatum, & personaliter comparentem
accusatum, ad Tribunalq; nostrum pro ferenda (vt præmissum
est) contra se Sententia, remissum, & probationibus, docu-
mentisq; liquidis & authenticis conuictum. Quibus quidem do-

cumentis, idem Instigator, coram illo Commissoriali Iudicio, & nunc etiam coram Nobis, Consiliarijsq; nostris, iterum productis & repetitis, nempe L. teris pergamenis authenticis, sub sigillis pennisibus supra memoratis, tamen etiam sufficientibus Iuratis testibus, hominum fide dignorum, ex præscripto Iuris edocuit & comprobavit, quod dictus Scholtz aulus est, iniussu nostro, immo nobis inscijs, prædictum Capitaneum Militum Andream Ohme conducere, qui conscriberet Militem, ad tuendam Civitatem Elbingensem à periculo, si quod in regno Civitati immineret, novamq; formulam contra publicas Constitutiones Divi Parentis nostri, sub pena capitis, honorumq; omnium Confiscationis, observari sancitas, ei præscribere: ac sublato Iuramento, quod Nobis primum, deinde Regno nostro præstare, secundum eandem formulam debebat, soli Magistratui Elbingensi iurare, fidemq; suam obstringere coegit, hoc adiecto, ne vlla illius Magistratus arcana Contilia cuiquam reuelaret: aliaq; crimina sufficienter comprobasset, memoratus verò Scholtz, ultra solitum, quater voce publica Præconis clamatus, non comparuisset, ideo eundem, tanquam Criminis Læse Maiestatis nostræ Regiæ conuictum & peractum, condemnamus: decernentes illum, ac Liberos illius sexus masculini, (feminiis tamen, ita uti Leges perscribunt, data venia) esse honore & fama priuatum, ac ex omnibus nostris Dominijs proscriptum, utpote Perfidum & Rebellem, deinde capitis supplicio, in Legibus præscripto, afficiendum. Postremò honorum Confiscatione, vbi-cunq; extantium, tam mobilium quam immobilium, quocunq; nomine appellatorum, damnandum: omnes filios eius, à successione etiam extraneorum remouendo, hoc nostro DECRETO mediante. In cuius rei fidem, Sigillum nostrum præsentibus est appressum. Datum Lublini, in Conuentu Regni generali, feria quarta post Dominicam Iudica proxima, Anno Domini, 1569. Regni verò nostri Quadragesimo.

Valentinus Dembienski R. P.
Cancell. subscripsit,

Relatio Magnif. Valentini Dembienski de Dembijany, Regni Poloniae Cancellarij.

FRVSTRA etenim Nicolaus Scholtz, Orando tum Elbinge,
atq; excusando coram Regijs Dominis Commissarijs, turpiter
patratam Rebellionem, ius commune Casareum allegabat. Quod
nimfrū in omni Iuramento semper subintelligatur, excepta Prin-
cipis Authoritas, etiamsi eadem expressē non fuerit excepta. Nā
quandoquidē sapientissimus Dignusq; Poloniæ Rex SIGISMVN-
DVS, præclarissimæ memoriæ, non recognoscens nimirum supe-
riorem, noluit prudentissimē contentus esse Iure illo communi
Casareo, sed propter maiorem securitatem, nouam omnino spe-
cialemq; à Prutenis præsertim ciuibus, perpetuò præstandi Iura-
menti immutabilem Formulam, sub expressâ etiam contra Trans-
gressores, grauissimâq; adnexa pœna, vitæ nimirum atq; Bonorū
omnium amissione, pro Regia sua Authoritate solenniter consti-
tuit. Et ne quisquam noui illius Regij Statuti, ignorantiam præ-
tendere posset, ob id etiam Sanctus prædictus Rex SIGismun-
dus Statutum illud, Anno elapso 1526. Typis solenniter excu-
di, publiceq; diulgari curauit. Quod quidem (vt sequitur) so-
nat. Notum præterea facimus vniuersis: quod subditos nostros,
pro maiori securitate, in sequenti, præstandi Iuramenti forma,
Nobis, & Serenissimis Successoribus nostris, omnino obligatos
habere velimus. Videlicet: Ego M F. Iuro me, Serenissimo Prin-
cipi, ac potentissimo Domino, D. SIGismundo, Regi Poloniæ,
Magno Duci Lithvyanæ, Russiæ, omniumq; Terrarum Prussiæ
Domino, Domino meo Clementissimo, eiusq; Sacræ Regiæ Ma-
iestatis veris & legitimis successoribus, primo coronatis Regibus,
fidelem fore, atq; Sacræ suæ Regiæ Maiestati, successoribusq; Re-
gibus, Famatoq; Magistratui huius Ciuitatis, à Sacra Regia Maie-
state deputato atq; ordinato, subditam obedientiam præstiturum,
Sacræq; Regiæ Maiestatis honorem, inclytâq; Poloniæ Corona,
Terrarumq; Prussiæ communem vtilitatem, pro omni mea virilē
promoturum. Quicquid etiam Sacræ suæ Regiæ Maiestati om-
nibusq; illius Prouincijs, & subditis nocere possit, quamprimum
resciuro. Volo nunc, & semper obligatus esse, Sacræ suæ Re-
giæ Maiestati fideliter annunciare & detegere, ac nequaquam ce-
lare.

lare. Vt me ita Deus iuuet. Conclufiue itaq; omnibus & fingulis,
sub amiffione corporis & Bonorum, mandamus atq; imperamus,
ididemq; a quolibet, ita, & non aliter, directe firmiterq; habere
volumus. Nimirum omne id, quod iam à Nobis, Deo omnipo-
tenti in laudem, atq; Maieftati noftre in honorem ordinauimus,
ftatuimusq; aut adhuc porro, cum confilio Regiæ Maieftatis no-
ftre Confiliariorum, ea ratione futuris temporibus ordinabimus,
atq; ftatuemus, fideliter firmiterq;, atq; inuiolabiliter obferuari.
Quapropter per Nos electis Officialibus, vtpotè Proconfulibus &
Confulibus, feueriffimè mandauimus, atq; etiam præfentibus de-
nuo difinitiuè, ex certa Regia fcientia imperamus, atq; sub gra-
uiffima prædifta fcilicet Pœna mandamus. Quatenus sub amiffio-
ne Capitis, Corporisq;, atq; honorum, contra eosdem, qui negle-
fta debita obedientia, fubiectioneq;, vel negligenter, vel friuole
delinquent, fecundum Iuris Rigorem, feueriffimam Pœnam, vi-
gore huius noftri Statuti quamprimùm decernant & exequantur.
Atq; nulli omnino, tam diuiti quàm pauperi, cuiuscunq; etiam
Dignitatis, præminentiaq;, ftatus deniq; etiam, vel conditionis
fuerint, parcant. Atq; adeo, ne quisquam in pofterum, per igno-
rantiam fe peccaffe, prætereundè poffit, ob id Nos, pro Regia no-
ftre beneuolentia, vigore præfentium Literarum, quemlibet, fuf-
ficienter atq; ex fuperabundanti etiam, præmonitū effe volumus.
fibi à periculo & pœna cauendi. Actum &c.

Ob tale itaq; inquam, tamq; folemniffimum, feueriffimumq; fpe-
ciale Regium Statutum, ego tum etiam Elbingæ, pro officio meo
defenfionis illius præmiiffæ, tam ridiculam per Nicolauū Scholtz,
communis fcilicet Cæfarij Iuris factam allegationem, publice re-
futaui. Cùm notorium nimirum fit, priuata Principum Statuta,
fpecialiaq; Leges atq; Conftitutiones, Iuri femper communi dero-
gare, omninoq; etiam præualere. Atq; vt fudata illa tum per me
proppofita Refutatio clarius illuminaretur, allegaui tum etiam ex
fuperabundanti fequentia hæc, grauiffimaq; fane verba, Diui olim
Illuftriffimiq; Saxonie Principis Electoris, præclariffimæ recor-
dationis, in celeberrimi nimirum Ioânis Sleidani, Hiftoriarum li-
bro nono

brō nono expresse contenta, quæ sic sonant: Non aliter autem
quàm ex Formula Legis Carolinæ iuretur, neq̃ sit in Electorum
Principum autoritate Formulã hanc immutare. Immo, qui con-
tra Iusiurandum illud fecisse conuictus fuerit, aut alioquin in gra-
uem suspicionem venerit, neq̃ se purgauerit, Is omni iure Ele-
ctoratus in perpetuum careat, &c.

Præterea, quoniam etiam contra Contumaces turpiterq̃ profu-
gos, ita Regia sonat Constitutio: Statuimus, quòd Citati, pro
quibuslibet criminibus & delictis, in Iudicio nostro iudicentur,
conuictiq̃ debita pœna puniantur, non obstante qualibet nomi-
natione, etiamsi Priuilegijs nostris, vel Prædecessorum nostrorum
essent communiti. Decernentes, quòd prædicti citati, contuma-
ces, cuiuscũq̃ status & conditionis existant, Habeantur pro Con-
uictis, &c. Non potest enim (vti Leges docent) dolo carere, qui
imperio Magistratus non obtemperat. Contumaxq̃ est ille, qui pe-
rempitoriè vocatus, præsentiam sui facere contemnit. Multò itaq̃
magis ille, qui iam publicè criminaliterq̃ & personaliter, in
prima instantia accusatus, & conuictus, corãq̃ supremo & Sacrosan-
cto, Inclyti Poloniæ Regni Regio Iudicio, cõparere præpro-
prie, die certo iussus, timens demeritum supplicium, turpiter pro-
fugit. Atq̃ ob id, euidentissimè per me demonstratum est, Nico-
laum Scholtz, tam temerarium, Specialis sollemnissimiq̃ Regij Sta-
tuti, superhumisq̃, conuictum deniq̃ etiam legitime, turpiterq̃
profugum violatorem, à Sacra pièq̃ defuncta Regia Maiestate,
meritò tam seuerè fuisse condemnatum, vt pœna nimirum eius-
modi vnus, metum faceret multis, &c.

Oblatæ sunt ad Officiũ, & ad Acta præsentia Castrensia Capi-
tania Cracouiensia, Surrogatorisq̃ eiusdem Capitaneatus Cra-
couiensis, Literæ Mandati Sacræ Maiestatis Regiæ, per Honestum
Stanislaum Scharfenbergk Ciuem Cracouiensem, Titulo & Sigillo
minori, eiusdem Maiestatis munitæ, ac per Reuerendum D Fran-
ciscum Crasinski, Regni Poloniæ Vicecancellarium subscriptæ.
Quas Officiũ Præfens vidit, & debite conspexit, omni vitio, no-
taq̃ suspicionis carentes, Tenoris talia.

SIGISMUNDVS AVGVSTVS
DEI GRATIA REX POLONIAE, &c.

HOnesto Stanislao Scharfenbergk, Ciui Cracouiensi, fideli nobis dilecto, gratiam nostram Regiam. Honeste, fidelis nobis dilecte, exposuit nobis, Nobilis Michael Fridevaldus, Officij Nostri Instigator. Et si is tibi Legatorum nostrorum, nuper in Prussia missorum, Elbingæ constitutas Leges Reipub. utilissimas, contra quosdam rebelles perfidosq; subditos nostros, hic publice propositam criminalem Accusationem suam, nec non DECRETVM nostrum, contra perfidum atq; infamē Nicolaum Scholtz, olim Proconsulem Elbingensem prolatum, pro iusto atq; à te acceptato precio Typis excudendum transmiserit. Te tamen Seruitori nunc suo, operam hac in re tuam, satis suspectè negare, impressaq; Exemplaria extrudere nolle. Mādamus itaq; tibi Præsentibus, omnino habere volentes, quatenus visis quamprimum Literis hisce nostris, primò quoq; tempore, Iusto, ac semel accepto precio contentus, Legatorum nostrorum prædictas Leges, tum & criminalem propositam Accusationem, vti Reipub. summè necessariam. Immò & Decreta quoq; per Nos prolata, debita cū diligentia Typis excusa, præmissa omnia, Seruitori suo Lublinum transferenda tradas, sub graui indignatione nostra, & sub pœnis, quæ in Contrauenientes Mandatis nostris extendi solent, secus haud quaquam facturus. Datum Lublini die XX mensis Aprilis, Anno Domini. M. D. L X I X, Regni verò nostri XL.

Franciscus Crasinski, R. P.
Vicecancellarius subscripsit.

Actum in Castro Cracouiensi &c.

Ioannes Kmīta, Hæres Tarnouienſis, & Surrogator Capitanei Cracouiēſis subscripsit.

Albertus Boriskovvski Notarius Cracouiēſis subscripsit.

Sigil-

10

SIGISMUNDVS AVGVSTVS

DEI GRATIA REX POLONIAE &c.

SIGNIFICAMUS tenore præsentium, quorum interest vniuersis & singulis. Quod cum Nobilis Michael Fridevaldus, Regij nostri officij Instigator fidelis Nobis dilectus, nuper in causa, contra perfidum proscriptumq; atq; infamem Nicolaum Scholtz, Proconsulem olim Elbingensem, fidem Nobis suam, per quam egregie declarasset, Cupientes illum ad eiusmodi fidelia obsequia in postertum alacriore reddere, Lapideam itaq; profugi istius, proscriptiq; malefici, dicti Nicolai Scholtz, Elbingæ in platea (quæ vulgò, di schmide gasse, appellatur) sitam, vna cum stabulo, annexaq; domo Braxatoria, nec non Molendinum eius prope villam Steinort iacens, tum & Pœnas Fisco nostro per Mathiam Begner commissas, Nobili Michaeli Fridevaldo, eiusq; hæredibus & successoribus, hæreditariè donanda & conferenda esse duximus. Prout & præmissa omnia & singula, motu proprio, atq; ex certa scientia nostra, donamus, & conferimus præsentibus Literis nostris. Concedentes illi eiusq; hæredibus & successoribus, omnimodâ facultatem, prædictas domos, vnâ cum Molendino, commissasq; Begneri pœnas exposcendi, in possessionesq; suas accipiendi, pro lutoq; alienandi, vendendi seu permutandi, prout illi eiusq; hæredibus & successoribus, melius vtiliusq; videbitur. In quorum fidem, præsentibus, manu propria subscripsimus, illisq; Sigillum nostrum subappendi fecimus. Datû Lublini, in generali Regni conuentu, feria secunda post Dominicam Palmarum. Anno Domini. M. D. LX. IX. Regni verò nostri Anno Quadragesimo.

SIGismundus AVGu-
stus Rex subscripsit,

SIGISMUNDVS AVGVSTVS DEI
GRATIA REX POLONIAE, &c.

Reuerendo in Christo Patri, Magnifico & Generosis, Stanis-
lao Karnkovvski Episcopo VVladislaviensi & Pomeraniz,
C ij Iohan-

IOHANNI KOSTKA de Stembergk, Terrarum nostrarū Prūsiae The-
saurario, Gedanensi, Pucensi, Dirfouiensiq; Capitaneo, & Nicolao
Firley de Dambrouicza, Visliciensis, Castellanis & Commissarijs
nostris in Prussia, syncere & fidelibus Nobis dilectis, gratiam nos-
tram Regiam. Reuerende in Christo Pater, Magnifice, & Gene-
rosi, syncere & fideles nobis dilecti. Facti sumus certiores, Nobi-
lem Michaelē Fridevaldum, Bonorum certorum, intra & ex-
tra Ciuitatem Elbingensem consistentium, quæ per fugam Nico-
lai Scholtz, Decreto nostro mediante, propter designata crimi-
na banniti & proscripsi, Fisco nostro addicta, & per Nos, ipsi
Instigatori donata sunt, possessionem cum vñfructu, nondū con-
securum esse, non sine graui præiudicio ipsius Instigatoris nostri.
Donationis autem nostræ contemptu. Proinde Synceritates & Fi-
delitates vestras hortamur, eisdemq; mandamus, vt, si quidē Ma-
gistratus Elbingensis, in danda & assignanda dictorum Bonorū,
ipsi Instigatori nostro possessione negligentior, & remissior fuerit
S. & F. vestræ, nomine & autoritate nostra, commemoratum In-
stigatorem, in possessionem Omnium bonorum inducant, & bene-
ficio Iuris communis imponant, ac in eadem pacificum & trāquill-
lum reddant, Omniaq; faciant & exequantur, quæ ad ritē confi-
ciendum, hoc ipsum negotium possessionis realis, & effectualis
obtinendæ pertinere videbuntur. Facturæ S. & F. vestræ, pro of-
fij sui debito, & gratia nostra. Datum Knyssyni, die decima se-
ptima Octobris. Anno Domini. M. D. LXIX, Regni verō
nostri Quadragesimo,

Franciscus Crasinski, R. P.
Vicecancellarius subscripsit.

Ex proprio Sacræ Regiæ
Maieftatis Mandato.

S T A N I S L A V S K A R N K O V V S K I, D E I
Gratia, Episcopus Vvladislaiensis & Pomeraniæ, Iohannes Ko-
stka de Schtembergk Castellanus Gedanensis, Terrarum Prūsiae
Thesaurarius, ac Dirfouiensis, Pucensiq; Capitaneus, Nicolaus
Firley de Dambrouicza Castellanus Visliciensis. Recognoscimus
notuinq;

noſumq; facimus præſentibus, quorum intereſt vniuerſis, nomi-
natum verò Famatis, Proconſuli, & Conſulibus, Regiæ Ciuitatis
Elbingenſis. Quia ad faciendam Executionem Mandati Sacræ Re-
giæ Maiestatis, nuper ad nos, in negotio Nobilis MIChaelis Fride-
vyaldi, Inſtigatoriſ Maiestatis Sacræ Regiæ ſcripti, præſentiũ ex-
hibitorem, Nobilem Paulum Kochanſki, Notarium Theſauri Ter-
rarum Pruſſiæ, ad D. veſtras ablegamus. Dantes illi, hiſce literis
plenariam poteſtatem, in negotio prædicto faciendi, Non aliter
ac ſi Ipſimet præſentes illic adeſſemus. In cuius fidem, Sigilla no-
ſtra præſentibus ſubimpreſimus. Datum in Caſtro Marienburgen-
ſi, vigefima quarta Octobris. Anno Domini, M. D. LXIX.

Prælectaq; ſic publicè, per Prothonotarium, Honeſtum Vence-
ſtaum Grunavy, Reuerendiſſimi, & Magnificorum Dominorũ Re-
giorum Legatorum, grauioribus tunc Reipub. negotijs occupato-
rum Plenipotencia, Nobilis Paulus Kochanſki. Alterũ porro ſcri-
ptum, legi tum quoq; ibidem in magna aſtantium frequentia cura-
uit, ſequentis inter alia Tenoris.

Nobilis D. Inſtigator, vigore publice lectæ, mihiq; conſeſſæ Ple-
nipotentia Ego iam nunc de facto D. tuæ, Domum hanc, vnã
cum annexa domo Braxatoria, vniuerſaliter trado. Similiterq; D.
tuam, iam quoq; intromitto atq; impono, in Molendinum, Infa-
mis atq; proſcripti Nicolai Scholtz, inq; vniuerſum illius Ius, om-
nesq; illius attinentias. &c.

SIGISMUNDVS AVGVSTVS DEI GRATIA REX POLONIAE &c.

SIgnificamus tendre præſentium, quorum intereſt vniuerſis, ſpe-
cialiter verò Famatis Proconſulibus & Conſulibus, Aduocatoq;
ac Honeſtæ Communitatis Senioribus, atq; adeò omnibus indiffe-
renter ac ſingulis ſubditis Noſtris Elbingenſibus. Quòd cum Re-
uerendus in Chriſto Pater, D. Stanilaus Karnkovvski, Episcopus
Vladislauiẽ & Pomeraniæ, Magnificuſq; & Generoſi, Iohannes
Sirakovvski Palatinus Lancicieñ, Przedeceñq;, Iohannes Koſtka de

Schtangenberk, Gedanensis, Terrarum nostrarum Prussiae The-
saurarius, Dirschouienensis, & Pucensis, Nicolaus Firley de Dam-
brouicza Visliciensis, & Stanislaus Vvyssoczki de Budislavv Bie-
chouienensis Castellani & Capitanei, in terras nostras Prussiae ac Po-
meraniae cum plena facultate missi & deputati Legati & Commis-
sarii nostri, illisque per Nos additi Secretarii nostri, Venerabiles,
Caspars Geskau Abbas Oliuensis, Laurentiusq; Gosliczki, ac Pe-
trus Roizius, Maureus Hispanus, Curiae nostrae Iurisconsultus, sin-
cerè & deuotè Nobis dilecti. Laudabilem sanè Nobilis Michaelis
Fridevvaldi, Regij officij nostri Instigatoris strenui Constantiam,
Fidelitatemq; atq; alacre studium, tam erga inclytum Poloniae
Regnum, quàm & erga Maiestatem Nostram Regiam, tum erga
oppressos quoq; ciues nostros, & Rempub. Elbingensem, pluri-
mum Nobis commendassent. Cupientes itaq; pro tam fideli cum
Regno, tum Nobis etiam, oppressisque Ciuibus, & Reipub. nostrae
Elbingensis praestito seruitio, benignitatem illi nostram Regiam
declarare. Ob id, de Senatorum Regni nostri Consilio, vacante
ei quarti Proconsulis Elbingensis Dignitatem, (qua se quidè per-
fidus proscriptusq; atq; infamis Nicolaus Scholtz indignū reddi-
dit) omninò tribuendam esse duximus, prout & eandem illi ex
certa scientia nostra, clementer concedimus praesentibus literis
nostris. Decernentes pronunciantesq; illum, Anni huius curren-
tis Praesidentem Elbingensem Proconsulem, seuerèq; mandantes,
tam Magistratui, quàm vniuersis subditis nostris Elbingensibus, qua-
tenus praedicto Nobili Michaeli Fridevvaldo, Fideli Nobis dile-
cto, Praesidentis hoc anno, à dato praesentium Proconsulis Elbin-
gensis locum dignitatemq; atq; honorem etiam reuerenter con-
tribuant, debitamq; illi obedientiam omninò compraestent. Sub
grauissima indignatione nostra, & Pœnis in contemptores Ordi-
nationis Nostrae, ex Senatus Regni nostri Decreto factae, pro ar-
bitrio nostro, irremissibiliter in quemlibet vestrum extendendis,
secus haud quaquam facturi. Non obstantibus etiam vllis, tam pri-
oribus quàm posterioribus his fortè in contrarium ex Cancellari-
is nostris obtentis seu obtinendis Literis. In cuius rei fidem atque

testimo

testimonium euidentius, Literas præsentis manu propria subscripsimus, illisq; Sigillum nostr. um subappendi mandauimus. Datum Vvarschouia, in generali Regni nostri conuentione, die septima Mensis Iulij. Anno Saluatoris nostri, M. D. LXX. Regni vero Nostri, Quadragesimo primo.

SIGismundus AVGustus Rex subscripsit.

SIGISMUNDVS AVGVSTVS DEI
GRATIA REX POLONIAE, &c.

Generoso Nicolao Laski, Capiteo nostro Crasnistauensi & Marienburgensi, fidei Nobis dilecto, gratiam nostram Regiam, Generose, fidelis nobis dilecte. Quoniam Nobilē Michaelē Fridevvaldum, iam pridem in numerum Seruitorum nostrorum recepimus, eiusq; opera, in multis arduis Nostri & Reipub. negotijs vsi sumus, propter quæ ille fideliter nobis præstita, maleuolorum hominum varia pericula, & insidias perpeffus est. Idcirco, Nos ipsius securitati plus prospicere volentes, concessimus, immò etiam iniunximus illi, vt in Arce nostra Marienburgensi habitet. Quod quidem fidelitati tuæ denūciantes, mandamus, vt præfato Nobili Michaeli Fridevvaldo, in eadem Arce, cuius curam & regimen à Nobis commissum habet, eiusmodi habitacionem, sine mora tradat. In qua Is, vnà cum Coniuge, Liberisq; & Familia, tutò ac commodè habitare possit. Pro gratia Nostra, & debito officij sui, F. tua secus non factura. Datum Vvarschouia die trigesima Mensis Maij. Anno Domini, M. D. LXXI. Regni vero nostri, Quadragesimo secundo,

SIGismundus AVGustus Rex subscripsit.

Sigismundus

**SIGISMUNDVS AVGVSTVS DEI
GRATIA REX POLONIAE, &c.**

Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest vniuersis. Quia Nos, perspectam & exploratam habentes, Fidem probitatem, industriam & nauitatē, Nobilis Michaelis Fridevvaldi, in Nostris & Reipub. negotijs. Vt itaq; denuo aliquod Nostræ erga se beneficentiæ habeat testimonium, atq; ita in reliquum tēpus, ad seruiendum Nobis & Reipub. propensior sit, Annuum stipendium, Centum florenorum, numeri & monetæ in Regno nostro currentis, & Pensionem quatuor florenorum, ipsius commodius sustentandi causa, singulis illi septimanis soluendam, assignare illi in animum induximus, vti quidem assignamus præsentibus literis nostris. Quod Generoso Iohanni Kostka de Stembergk, Castellano Gedanensi, & Terrarum nostrarum Prussiae Thesaurario ac Pucensi, Dirscouiensiq; nostro Capitano denunciantes, Mandamus, vt supra memoratum Annuum stipendium, Centum Florenorum, singulis Christi Domini Natalibus, Pensionem verò, quatuor florenorum Septimanalem, singulis ferijs sextis, prædicto Nobili Michaeli Fridevvaldo, sine vlla mora numeret, & numerari curer. Nos autem in ratione exigenda, visa eius Quietatione, id sine dubio à F. tua suscepturi sumus. In cuius rei fidem, Sigillum nostrum præsentibus est subimpressum. Datum Vvarschouiz, &c.

SIGismundus AVGV-
stus Rex subscripsit.

**STEPHANVS DEI GRATIA
REX POLONIAE, MAGNVS DVX LITHV-
ANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE. SA-
MOGITIAE, KYOVIÆ, VOLHINIAE, POD-
LACHIAE, LIVONIAE, &c. NEC
NON PRINCEPS TRAN-
SYLVANIAE.**

Vub

Vniuersis & singulis, tam Ecclesiasticis quam secularib, Prin-
cipibus, Ducibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus,
Prælatibus, Comitibus, Baronibus, Palatinis, Castellanis, Capita-
neis, Burgrabijs, Dignitarijs, Equitibus, Officialibusq; Ciuitatum
atq; Oppidorum, ac aliorum quorumcunq; locorum, per Regnū,
Mignūq; Ducatum Lithuanicæ, & alias Prouincias Domini no-
stri degentibus, sincere & Fideles dilecti, cum ex Authenticis ali-
quam Regiam, sincere & Fideles dilecti, cum ex Authenticis ali-
quot Serenissimi olim Prædecessoris nostri, præclarissimæ memo-
riæ Literis, manu etiam Maiestatis suæ Regiæ propria clementer
subscriptis, Nobilis Michaelis Friedevvaldi, erga Rempub. Fidem,
alacriter, constanterq; præstitā, abundanter perspexissemus. Qua-
propter Illum ex certa scientia, & voluntate nostra Regia, denuo
fecimus, constituimus, creauimus, ac specialiter deputauimus, vti
hisce literis nostris facimus, constituimus, creamus ac depuramus,
in Nostrum Plenipotentem & Mandatarium, ac Maiestatis Nostræ
Procuratorem seu Instigatorem, ad agendum instigandum Nomi-
ne Nostro, Coram Commissarijs nostris, ad id destinatis & depu-
tatis, ac Alijs quibuscunq; Iudicijs & Offitijs, Ordinarijs & extra-
ordinarijs seu delegatis, contra quasuis personas, cuiuscunq; status
ac præminentie, in Omnibus & singulis causis, tam Criminalibus
quam Ciuilibus, Personam, Maiestatem, Honorem, & Dignitatē
Nostram Regiam, atq; iura nostra Regalia, etiam Fiscum & come-
moda nostra, ac Reipub. tangentibus, ac quomodolibet, ad ani-
maduersionem & Iudicium nostrum pertinentibus. Dantes & con-
cedentes eidem Mandatorio nostro omnimodam potestatem & fa-
cultatem, contra prædictas Personas, Nomine nostro & Reipub.
agendi, instigandi, proponendi, Pœnam & supplicium de Male-
ficis, & excessiuis deposcendi & efflagrandi, ac quæuis commo-
da, ad Fiscum nostrum repetēdi. Aliaq; omnia & singula in præ-
missis, & circa præmissa, quomodolibet necessaria & opportuna
agendi & exercendi. Etiam si talia torent, quæ Mandatum magis
speciale exigent, quam præsentibus est expressum. Promittentes,

D

tes, Nos,

ter, Nos, quicquid in præmissis, per eundem Mandatarium, & Instigatorem à Nobis constitutum, legitimè gestum fuerit, Ratū & gratum perpetuò habituros. Proinde, prænominatum Nobilē MIChaelem FRIdewaldum, Fidelem Nobis dilectum, vnā cum legitima eius Coniuge, Liberisq; ac tota sua familia domestica, cumq; rebus & Bonis eius omnibus, in singularem Nostram Regiam Protectionem accipimus. Seuerè tandem requirentes, ab omnibus subditis nostris, vt Dignitatis, Reputationisq; nostræ Regiæ nomine, Instigatorem, ac Mandatarium hunc Nostrum, vbiq; locorum honestè habeant, omnemq; illi beneuolentiam exhibeāt, Nulloq; eum prorsus modo, eiusq; domesticos lædant, verum omnia illi beneuolè reuerenterq; contribuant, quæ vel iure, vel bonis Exemplis, benemoratos subditos, ob Honorem nostrū Regium; Familix nostræ tribuere decet. Pro gratia itaq; Nostra, Synceritates & Fidelitates vestræ, Officia verò Ciuitatum atq; Oppidorum, Regni, & Dominiorum nostrorum, præsertim verò in vniuersa Prussia, faciant præmissa omnia & singula, sub grauissima Indignatione nostra, Pœnaq; Decem Millium Aureorum Hungaricalium, Parte nimirum dimidia, Fisco nostro Regio. Altera verò læso Instigatori nostro, non ex publicis, sed ex priuatis Bonis, Toties, quoties Literas hasce nostras, qualitercunq; violare attentauerint, irremissibiliter persoluenda. Cateri deniq; subditi Nostri quicunq; sub pœnis, quæ in Sceleratos Principum Familix violatores, Legibus constitutæ sunt, secus nequaquam facturi. In cuius rei fidem, præsentem manu nostra subscripsimus, illisq; Sigillum Nostrum subimprimi iussimus. Datum Thorunix in generali Regni nostri Conuentione, Die septima Mensis Nouembris. Anno Domini. M. D. LXXVI. Regni verò nostri Anno primo.

STEPHANVS REX
Subscripsit,

Exemplar

14
Postulare, Maleuolorumq; me tandē persecutionibus crudelibus
valde defatigatum Officio Instigatorio, publicē tum quōq; ibidem
renunciare audias. Datum Elbingæ, Die decima mensis Augusti.
Anno Domini. M. D. LXXIX.


Officij Regij Instigator, MI-
chael FR Idevvaldus, manu
propria scripsit & subscripsit.





Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include a date or reference number.


Handwritten text, possibly a signature or a specific reference, located in the upper right quadrant of the page.






























Biblioteka Jagiellońska



stdr0034836



Medusa